

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Georg Krugk Franciscus Holtman

**Dissertatio Philosophica De Potentia**

Rostochii: Kilius, 1637

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729462951>

Druck Freier  Zugang



RU phil 1632  
Georg Knigk  
Franz Holtmann



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn729462951/phys\\_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729462951/phys_0002)

DFG

Quod felix faustumq; esse jubeat

D. T. O. M.

479

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

D E

P O T E N T I A:

*Cujus Positiones*

Consensu Amplissimæ Facultatis Philosophi-  
æ in Inclita ad Varnum Academia

*Sub PRÆSIDIO*

*Viri Clariſſimi, Excellentiſſimi, Experientiſſimi,*

**DN. GEORGII Krugf/Philosoph.**

& Medicin. Doct. Celeberrimi Præceptoris  
& Fautoris sui æternūm honorandi,

*Publico & Placido Doctorum  
examini subjicit*

**FRANCISCUS Holtman/**  
Leoburg-Saxo,

*In Acroaterio Majori ad diem 10. KL das Decem-  
bris Horis Antemeridianis.*



**ROSTOCHI,**

Literis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.  
ANNO M DC XXXVII.

Годъ Григориански  
Святъ Григорий Патриарх Константино-Политенский

# АИТИЕТО

ДНЕГОРДИИ РИМЛІ ПІДОЛОГІІ

Джон Григорій Римський Підологій

Богдан Григорій Добровольський

Яків Григорій Степанов

Дмитро Григорій Іванов

Іван Григорій Іванов



Ростоць

Лев Николай Крістіан Тібор

Іван Михаїл Крістіан



# BONO CUM DEO!

**U**eremadmodum universalis illa, de  
Ente, disciplina, quam nos Metaphysicam  
appellare consuevimus, inter reliquas Theo-  
retrice Philosophiae partes, facile principem  
obtinet locum, usq; adeo, ut etiam à Philoso-  
pho 6. Metaph. 2. & 11. c. 6. non immerti-  
to de christianissimis artus, Principis, Reginæ & dominæ alia-  
rum Scientiarum nomine & laude cohonestetur: Ita nihil in  
ea offenditur, quod non sit, ut miris modis jucundum & utile,  
ita etiam scitu summe necessarium. Apprimè tamen, ex  
tra omnem dubitationis aleam, cum aliis de palma certare vi-  
detur, nobilissima illa, de Potentia, doctrina, quippe cuius  
frequentissima fit mentio non in Philosophia tantum,  
sed in omnibus penè Scientiis, iis certè, quæ ratione  
utuntur. Cornel. Mart. in Comment. Metaph. p. m. 87.  
Quod cum & nos non ita pridem consideraverimus, animum  
induximus, paucula hac vice, ea de re, loco materie Disputa-  
tionis, pro ingenij nostri modulo, proponere. Sit itaq;

## THESES

### I.

**V**ox Potentie desumpta & imposita est primū à potentia homi-  
num. Inter homines enim potentes dicuntur, qui, ut Plautus loqui-  
tur, facile facere possunt quod volunt, sine aliis, & sine impedimento.  
Et, qui plura possunt, quibusq; minus resistere valemus, magis poten-  
tes di-

A z

tes dicuntur. Unde perspicitur quod ea quae maximè impediri possunt, minimum potentia habeant, vocabulumq; Potentia, ad passivam non restringi posse videatur. Quia tamen & actiones aptam materiam requirunt, in qua recipi possint, ex consequenti etiam ea, quae actiones agentis recipere possunt, Potentia titulo insigniuntur, ut habet idem p. 46. Confer etiam Armand. de Bell. viii. in Lex. tr. 2. c. 8. Scheibler. l. i. c. 14.

## II.

Contradistinguitur autem Potentia Potestati, quae, rigorose loquendo, unum idemq; cum ea non significat. Potentia enim significat præcisè ipsam virtutem & vim agendi, vel patiendi. Potestas autem importat jus, vel jurisdictionem, & autoritatem. Quæ duo non semper coincidere videmus. Invadatur enim quis hostiliter à Prædonibus. Potestatem is quidem habet eorum impetum à se repellendi, Potentiam autem sæpè non habet. Fortior contraria, Potentiam habet suppressiendi imbecilliorem, Potestatem tamen semper non habet. Sæpè verò hoc discrimen negligitur, & pro æqui pollentibus sumuntur.

## III.

Potentia porro juxta Thomam opusc. 48. c. 3. de Qualit. est duplex: quædam continetur in secunda specie Qualitatis, & vocatur *Prædicamentalis*: Quædam autem non continetur inibi, sed in aliis quoq; ejus speciebus, aut aliis etiam prædicamentis, & vocatur *Transcendentalis*. Quò quidem inter se hæc duæ Potentia revera différunt. Minimè verò, ut quibusdam placet, quod prædicamentalis possit cum suo actu conjungi, transcendens verò minimè, sed tollatur, posito ejus actu v. g. Petri potentia, quando est ejus actus. Potentia enim creandi in DEO simul stat cum actu creandi, & Potentia materiæ, quæ potest habere in se formam, non tollitur, cum actu recipit formam, nec repugnat Petro, quando est actu, quod possit esse, licet repugnet unum idemq; simul esse actu, & esse potestate vel potentia.

## IV. His

## IV.

His præmissis accingimus nos ad ipsam Potentia Transcendentia naturam penitus enucleandam. Definitur autem vulgo **Potentia** in sua latitudine quod sit illud **Ens quod potest actuari**, puta ab illo actu, ad quem se habet, ut Corn. Mart. loquitur, seu ut habet Averroes, est aptitudo, quæ est in re, & possibilis, existens in ea, ut inveniatur in actu. Sicut ex semine quod potentia homo est, actu fit homo, & DEI potentia creativa, postquam Mundum creavit, ad actum traducta est. Quæ tamen non imperfectionem aliquam infert, ut forsitan quis sibi imaginabitur. Nam intelligimus Potentiam Activam, quæ omnis imperfectionis in Deo expers est.

## V.

Unde patet Potentia, in sua latitudine, prima diversio, in **Aktionem** scilicet **Passivam**; & **Objectivam**. Objectivam negant Zabarell. l. 7. de prim. rerum mater. c. 2. Javellus l. 8. Met. c. 1. & l. 9. c. 1. & 2. & Capreol. l. 1. dist. 3. quest. 2. Soncinas, l. 9. quest. Metaph. c. 2. quæ tamen nobis autoritate Scotistarum & Nominalium suffultis, non reprehendenda videtur. Hæc, juxta Scotum, aliquando eadem est cum Potentia subjectiva, quando nimis datur materia, seu subjectum, ex quo aliquid producitur, quod fit, quoties aliquid dicitur posse esse objectum Potentia activæ creatæ, & per eam produci, non ex nihilo; sed semper ex praæacente aliqua materia. Estq; per Potentiam materiae aliquid aptum, ut sit objectum Potentia activæ, & per eam producatur. Quamvis hic intercedat quædam distinctio rationis & diversus respectus. Dicitur enim Potentia subjectiva, ratione formæ, quam recipit, & cuius subjectum est. Objectiva vero, respectu Potentia Activæ, quia actio Potentia activæ circa eam est. Alias tamen Potentia Objectiva cum Subjectiva non coincidit. Quia alicui potest tribui objectiva Potentia, cui tamen non potest tribui Subjectiva. Quod quidem fit in ordine ad Potentiam DEI creatricem, quæ aliquid facere potest, nullo presupposito subjecto.

## VI.

Est igitur Potentia Objectiva nihil aliud, quam non repugnans rei ad hoc, ut fiat vel existat. Quæ duo requirit, primò, ut non sit,

A 3

secundò

*secundū, ut ipsi non repugnet esse.* Quapropter homo irrationalis, non est in potentia objectiva, quia, cū contradictionem implacet, aliquid esse hominem, & esse irrationale, non potest ullius Potentiae esse objectum, neq; à quaquam produci. Contrà verò, rosa hoc tempore est in Potentia objectiva, quæ, licet non actu existat, potest tamen existere.

### VII.

Exorbitant itaq; ex veritatis tramite alij, qui dicunt, si per Potentiam objectivam intelligatur aliquid reale, & actu existens in rebus, non esse eam distinctam à Potentia activa & passiva. Si vero sumatur pro non repugnantia, secundum quam rei non repugnet produci, dicunt hanc esse non realem, sed Logicam tantum Potentiam. Sed recte *Johan. de Rhada l. 2. Sent. Controv. 12. art. 4.* hæc non esse contra sententiam Scoti, ejusq; discipulorum, ostendit. Non enim statuunt illi, Potentiam objectivam esse Potentiam aliquam realem actu existentem in re; sed eam agnoscent pro non repugnantia rei ad produci, quam etiam tantum Potentiam logicam vocari Scotti non impugnant.

### VIII.

Quod autem Zabarella afferit, Potentiam hanc nihil aliud esse quam Ens rationis, & ita vanum esse, statuere, eam etiam re distinctam à Potentia Activa & Passiva, quæ sunt Entia realia, non video quomodo stabiliri possit. Cum Ens rationis sit aliquid fictum, & non competit rebus citra mentis operationem. Sed Potentia objectiva sit non repugnantia, quæ competit rebus citra mentis operationem. Quia ante mundi creationem angelo non repugnabat produci, sed poterat produci, nemine cogitante: Etsi enim illa non repugnantia non est aliquid reale actu existens in rebus. Quod inde perspicitur, quod statuitur esse in rebus non existentibus. Sed quod est in re non existente, non potest quidem aliquid existens esse: Non tamen est Ens rationis.

### IX.

Distingvitur igitur Potentia Objectiva ab Activa & Passiva, non quidem distinctione reali quæ est inter rem & rem, seu inter duo positiva

positiva, actu existentia; sed negativa, quæ est inter actu existens, & non existens. Quia Potentia Activa & Passiva sunt aliquid reale actu existens. Sed Potentia Objectiva non est aliquid positivum existens, cum ipsæ res, quibus attribuitur, & quæ dicuntur esse in Potentia Objectiva, non existant.

X.

Hæc de Potentia non existente dixisse sufficiat. Progredimur jam ad Potentiam Activam & Passivam, quæ sunt Potentiae in rebus existentes. Quam divisionem, ut sufficientem, rectè probat Arist. l. 9. Metaph. & l. 5. qui Activam ibidem statuit esse Principium motus, mutationis in alio, quatenus aliud, quæ definitio, cum non competit i. Potentiae creativæ Dei, quæ revera activa est, nec tamen est principium motus mutationis, cum creatio non sit motus, nec mutatio. nec 2. Potentias activis quæ agunt actione immanente, & non efficiunt aliquid in alio diverso ab eo in quo sunt ipsæ, merito pro ea exoscularum definitionem Mendozæ, cui Potentia Activa est, in cuius virtute continetur effectus, qui per eam produci potest.

XI.

Nec efficit aliquid Svarez cum Definitionem Aristotelicam Potentiae Activæ ad Potentiam DEI creativam extendere allaborat, si nomine transmutationis non in rigore, sed latè utamur, pro qvavis eductione de non esse ad esse, & per vocem aliud non intelligamus solum subjectum, sed & terminum effectus, quia ista responsio non solum menti Aristotelis, sed & usui vocationis relatur. Transmutatione enim non sit nisi in re aliqua quæ actu existit. Et quæ non est, sicut non potest dici moveri, Arist. t. 6. l. 9. Met. ita nec transmutari. Deinde durum admodum est, per id, quod Philosophus dixit, transmutari per Potentiam activam, terminum intelligere. Et annon hoc est potius novam definitionem cūdere, quam Aristotelicam explicare & defendere? Sthal. Disp. Met. 3 th. 13. 14.

XII.

Potentia Passiva juxta Philosophum, l. c. est Principium motus mutationis ab alio, aut quatenus aliud. Sed neq; ista definitio Potentiae

tentiæ Passivæ naturam in sua latitudine exhaustit, ut in Potentia Passiva vel receptiva actionis immanentis videre est, potentia enim visiva est in oculo potentia passiva, cum in se recipiat visionem, non tamen ab alio effectam, sed à seipso productam, & quidem per se, non per accidens. Est igitur *Potentia Passiva*, definiente Petro Hurtado de Mendoza *Disp. Phys. 2. sect. 2.* quæ recipere potest aliquam formam.

### XIII.

Performam autem hic intelligimus Physicam & Metaphysicam. Physica quidem forma est in aqua, respectu potentia recipiendi calorem, quæ ratione etiam paries est Potentia Passiva prædictus ad recipiendam albedinem. Metaphysica est in Angelo, qui potest recipere quædam, & habet Potentiam recipiendi aliqua, angelus tamen, eo ipso formam Physicam non recipit, quando v.g. angelus videt Deum, visio recipitur in ipso Angelo.

### XIV.

*Potentia Activa*, secundum Philosophum l. 9. Met. c. 2. dividitur in *Rationalem* & *Irrationalem*, quæ ad omnes Potentias potest accommodari, ita ut etiam Potentiam DE I comprehendat, contra eos, qui negant Potentiam Rationalem DE O posse tribui, cum ratio discursum importet. Voces enim *Rationale* & *Irrationale* h. l. non accipiendæ sunt strictè, prout discursum important, sed generalius, pro intellectu & intellectuali, seu cum discursu hoc sit, sive non, quo modo cessat ratio adversariorum.

### XV.

*Potentia Rationalis*, quæ & *Libera* dicitur, indifferens est ad utrumq; oppositorum, sicut homo potest agere & non agere, scribere & non scribere, unde & alias talis definitio assignatur: *Facultas libera seu rationalis* est, quæ, positis omnibus ad agendum requisitis, potest agere & non agere. *Potentia Irrationalis* autem est unius oppositorum, hoc est, ita est determinata, ut positis omnibus ad agendum requisitis, & eodem modo se habentibus, non possit non agere: sic ignis, præsente materiâ combustibili, & omnibus requisitis, necessario comburit, neq; in ejus Potentia est, non comburere.

### XVI. Hic

## XVI.

Hic Autores Metaphysici plerumq; etiam Libertatis naturam enodant. Sufficit nobis Libertatem *tripliciter* sumi 1. ut opponitur *Servituti*. Sic aliquis dicitur liber qui nullius obedire cogitur imperio. 2. Ut opponitur *coactioni*, & sic liberè dicitur agere, qui non coactè agit. 3. Ut opponitur *Necessitati*, quomodo liberè agit qui ita agit ut possit non agere, aut aliter agere quam agit. Et hic tertius modus est, hujus loci.

## XVII.

Quando autem dicimus Potentiam Rationalem esse indifferente ad utrumq; oppositorum, & Irrationalem esse unius oppositorum, notandum, nos loqui de eo, quod fit *per se*. Nam quod æstas ventres reddit frigidiores, per accidens est, fitq; hoc quatenus calcificiendo poros corporis aperit, quibus apertis calor fertur ad exteriora, & sic partes interiores, eo destitutæ, redduntur frigidiores. Deinde quando Sol liquefacit ceram, & indurat lutum, non provenit ex propria facultate caloris, sed ex diversitate materiae seu objecti. Nam eadem materia eodem modo sese habens, non liquefit & induatur à calore. Sicut v.g. lutum quidem ab eo induratur, sed non liquefit. Cera autem liquefit, sed non induratur. Rationalis vero Potentia, non tantum in diversa & contraria objecta fertur, sed & contrarios actus, circa idem numero objectum, ipsa, & aliis omnibus requisitis, eodem modo se habentibus, exercet.

## XVIII.

Alio modo Potentia Activa dividitur in Puram & Non Puram. *Pura* est quæ nihil habet adjunctum Potentiae Passivæ. Qualis in solo reperitur DEO. Et subdividitur in *Ordinatam* & *Absolutam*. Potentia Dei Ordinata nihil aliud est quam ipsa DEI Potentia, quatenus accommodata, & quatenus debita est exequendæ alicui Legi à DEO institutæ, ut definit eam Fonseca 9. Met. t. 1. q. 9. s. 1. Potentia DEI *absoluta* dicitur, quatenus per eam potest facere omne id, quod fieri contradictionem non implicit. Et sic Deus potest aliquid secundum Absolutam suam Potentiam, quod secundum potentiam ordinatam

B

natam

nata non potest: potest v. g. de absoluta potentia peccatori pœnitenti veniam negare, quod tamen de ordinata, consideratâ scilicet suâ misericordiâ, non potest.

### XIX.

Intelligimus autem per Potentiam DEI Absolutam, idem, quod per vocem Omnipotentie, quæ est talis Potentia, ut ex ipsa apparet vōce, quâ quis omnia potest, & cum Deus dicitur omnipotens, significatur ipsum omnia posse. Cum autem Potentia dicatur ad possibile, omnipotentia extendit se ad omne possibile, & cum DEUS dicitur omnipotens, idem est ac si dicatur, Deum omnia posse quæ possibilia sunt.

### XX.

Possibile autem dicitur dupliciter 1. *cum apposito*: quod scilicet sit possibile huic vel illi. 2. *Absolute*, & est illud cuius termini nullam important repugnantiam, & hoc modo Deus dicitur omnipotens. Hinc patet illa quæ contradictionem implicat sub omnipotentia DEI non comprehendendi. Cum una contradictionia semper alteram falsitatis arguat, fieretq; ut falsum esset utrumq;. In DEO autem falsitatem ponere magnæ est impietatis, & ponere in eo duo contradictionia est mendacium in Deo ponere, quod non solum absurdum, sed & impium & blasphemum. Quemadmodum igitur oculus nec dicitur imperfectus, eo quod non potest sonum percipere, quia is non est objectum ejus adæquatuum. Ita nec Dei omnipotentia potest dici imperfecta quia non potest quod implicat contradictionem, seu esse & non esse simul. Hoc enim omnipotentie divinæ non subditur, non propter defectum divinæ potentie; sed quia non potest habere rationem factibilis, neq; possibilis absoluti. Et ea quæ contradictionem implicant convenientius dicuntur quod non possint fieri, quam quod Deus ea non possit facere. Cornel. Mart. *Comment. Metaphys.* f. 34. & 55.

### XXI.

*Non Pura Potentia est*, quæ adjunctum habet aliquid potentie passivæ. Ettales sunt potentie omnium creaturarum.

### XXII. O.

hol. vina pagy

## XXII.

Occurrit & alia divisio, quâ Potentia à Scoto, Thoma, Javello, Fonseca, Svarezio, & Mendoza dicitur alia *Naturalis* alia *Obedientia*. *Naturalis* Potentia, definita Fonsecâ l.8. *Metaph. c.1. q.4. s.1.* est, quæ viribus naturæ cum generali DEI concursu, potest traduci ad actum. Comprehenditur sub hac Potentia etiam, Rationalis & Libera, quia hîc naturale non sumitur, ut opponitur rationali & libero, si-  
cut sumebatur thesi 15. Sed ut opponitur obedientiali seu supernatu-  
rali. Sic Potentia Naturalis est virtus in semine per quam ex eo natu-  
rali generatione animal produci potest, & intellectus, quatenus eo li-  
bris incumbere & habitus Scientiarum gignere possumus. Hæc enim  
propriis viribus præstari possunt, neq; ad ea requiritur concursus  
DEI specialis.

## XXIII.

*Obedientialū* est, quâ res aliqua apta est ad actum aliquem su-  
pernatalem cum speciali DEI concursu. Hanc Armandus de Bel-  
lo-Visu *tr.2. term. c.12.* & ex eo, Cornel. Mart. *Comment. Metaph. f. 66.*  
Scheibler. *l.1. Met. c.14. tit. 2. punc. 2.* aliiq; faciunt duplēcēm: *Primo*,  
inquiunt, ipsæ res natæ sunt obedire actioni divinæ in fieri, quicquid  
factibile est de iis per divinam virtutem. *Secundo* ipsæ etiam res na-  
tæ sunt obedire artifici, et si non sic ut divinae actioni, tamen aliquo  
modo, ut fiat de iis per artem, quod artifex secundum rationem rectā  
& regulam artis intendit. Sic v. g. ex ferro potentia obedientiali, eā,  
quæ DEUM respicit, potest fieri vitulus, in eodem ferro eadem est po-  
tentia, ut fiat ex eo ope humanæ horologium.

## XXIV.

Sed Argumentum contra eos tale esto: Quæcumq; Potentia  
viribus naturæ cum generali DEI concursu potest traduci ad actum,  
est naturalis. Atqui Potentia rerum artificialium viribus naturæ,  
cum generali DEI concursu, potest traduci ad actum. E. & per conse-  
quens illud membrum est superfluum. Artifex enim, ut agens in nu-  
mero creatorum continetur & formæ illæ viribus naturæ possunt  
cum generali Dei concursu traduci in actū. Artificialium itaq; rerum  
Potentia obedientialis Armandi sub Naturali comprehenditur.

B 2

XXV. Sed

### XXV.

Sed dicis: Nunquam compertum esse materiam absq; manu artificis elaborasse ex ferro horologium, & propterea potentiam in ferro ad formam hujusmodi artificialem non posse dici naturalem. Resp. Hæc ratio nullius est ponderis, siquidem naturale hic non sumitur prout opponitur libero & artificiali; sed ut opponitur Obedientiali & supernaturali.

### XXVI.

Datur & alia Potentia divisio in *Universalem* scilicet & *Particularēm*, quæ distinctio non solum est Potentia Passiva, sed & Activa. Nam Potentia DEI dicitur esse universalissima, quatenus non solum per se sola facere potest quæ fieri contradictionem non implicant; sed etiam ad actus omnium creaturarum concurrat. Potentia autem *Universalis* dicitur quæ plures & diversos respicit actus. Imprimis tamen de Potentia Materiæ, quæ passiva est, præsens distinctio notanda est, & nihil aliud est, quam Propensio materiæ ad omnes formas indistincte: Ideo dicitur libera & indifferens ad opposita, & æquè est receptiva formæ atq; oppositæ privationis, ut loquitur Alex. Aphrod. l. 2. q. docente Zabar. c. 7. & Averr. i. Phys. cont. 79. Potentia *Particularis* est, quæ materia hanc formam ita respicit, ut non alias, seu magis hanc, quam alias. Quæ Potentia coarctatio & determinatio non sit à natura materiæ. Siquidem ea æquè omnes formas appetit, sed ab agente, & materiam ita præparante ad formam hanc recipiendam, ut non apta sit recipere alias. Corn. Mart. *Comment. Metaph.* f. 134. & seqq.

### XXVII.

Coronidem huic nostro discursui imponet divisio Potentia in *Naturalem*, *Violentam*, & *Neutram*, cuius Autor Scotus est, quæst. i. proleg. i. & 2. dist. 2. quæst. 6. Quæ divisio est solius Potentia Passiva. Hanc divisionem impugnat Fonseca, cum aliis, qui ipsi hanc in re pollicem premunt, quam tamen controversiam in discursum reservabimus. Sumitur autem hæc divisio in ordine ad actum seu formam quæ recipitur, & dicitur Potentia *Naturalis* respectu actus, ad quem res ipsa sive subjectum per naturam habet inclinationem seu propensionem

nem, qualis est potentia lapidis ad motum deorsum. *Violenta* est  
quæ formam contra suam naturalem inclinationem & propensi-  
onem recipit, qualis est potentia lapidis ad motum sursum. *Neutra*  
autem est quæ nullam resistentiam nec naturalem inclinationem ad  
hanc formam habet, nec ad ejus oppositum, qualis est Potentia super-  
ficiei ad albedinem & nigredinem. Quia superficies nec est propen-  
sa naturaliter ad albedinem nec ad nigredinem, nec nulli ex his resistit.  
Et tantum de hac materia pro ingenij nostri tenuitate dictum esto.



## Quærimus Corollarij loco:

I.

**A**N Ens actuale saltim sit reale? R. Nisi ultra  
alia inconvenientia facultatibus & discipli-  
nis realibus injuriam velimus fieri, cogimur hoc  
inficiari, *ex quo non actuale sciret*.

II.

An D E O propriè competit manus, vel bra-  
chium? Impossibile simpliciter, & contradicto-  
rium hoc arbitramur.

III.

An in rerum natura, vel actu vel potentia  
solum, sit Nobilis naturalis? R. Dum demum, si  
Baccalaureus, Magister, vel Doctor talis.

IV.

**Quid magnus ille, (ut vulgo fertur) Naturæ  
Mystes, Rlinius, l. 2. c. 7. impossibilibus a se pro-  
ductis,**

B 3

ductis, patēfaciat? Num fortē, quam intendit,  
Dei opt. Max. non Omnipotentiam? R. Nihil mi-  
nus. Sed suam ipsius modō propalat impiam,  
&, quam cum aliis plerisq; Metaphysices con-  
temptoribus communem habet, rudem & mi-  
serabilem inscitiam & ignorantiam.

Et iea Concludimus.

Θεῶν μόνῳ δόξα καὶ υἱός εἰς αἰώνας ἀπεῖ.



Ad

Præstantissimum & Doctissimum Dn. Re-  
spondentem Amicum Dilectum.

Primitias frugum veluti fert rustica turba  
Legifera Cereris: Genij sic sacra Minerva  
Offers, quae tibi nascenti tribuere Camœna.  
Nam si vere vales tales producere flores,  
Quam fiet fœcunda seges tibi tempore messis.

Ita egregiae Indolis Juveni, amico &  
commensali suo mellitissimo gratatur

Samuel Nicolai, Holsatus.

Ornatissimo & Doctissimo Dn. Respondenti,  
Contubernali & Amico suo dilecto.

Miles ut intrepidâ certamina mente capessit  
Fortiter ut pugnat, post manet utq; potens:  
Sic

Sic tu Pimpleidum dignē qui castra fecerūt  
Hactenus, intrepido pectore bella subis,  
Et (Tibi cum Sophiæ, rerum sit cumq; potestas)  
Jura potestatis ritè tenere studes.  
Gratulor, & vōveo Deus ut tua cœpta secundet,  
Et vivas, vigeas semper in arte potens.

*Amoris & Benevol. ergo*

*Scribebat*

*Foachimus Tunerman,*  
*Holsatus.*



## AD DOMINUM RESPONDENTEM.

Amicum Intimum.

*S*i vario hant renuit pectus, macerare dolore,  
Dives, & extremos currit mercator ad Indos  
Labilis ut querat fallacia munera sortis,  
Tu merito ingenium jucundo ornare labore,  
Tentas, atq; animi dulcissima munera queris,  
Quæ variis sortis non sunt obnoxia dannis.  
Pergito sic castas, mi Frater, amare Camœnas,  
Inde tibi solidi tandem nascentur honores.

*Amico suo dulcissimo,  
f.*

*Joachimus Lobesius Sverino-  
Megapolitanus.*

*Ad*

*Ad Prastantissimum Ornatis.*

*Dn. Resp. Amicum candidum.*

**FANCISCUS HOLTMANNUS**

*αναγεμιστης.*

**NUNC FLOS SANCTIIS. MIRAS.**

**S**Cilicet Ambrosius svavem *Flos* spargit odorē,  
Sic nunc flos sanctus, Sophiæ decus atq; nitela,  
Virtutis, morum, Doctrinæ spargis odorem.  
Nec res mira: etenim te informat docta Thalia.

*Honoris & Amoris ergo  
approperabat*

**Johannes Andreas Junckherr  
Holsatus.**

**F I N I S.**

*Losepsum quod se videt  
M. annuntiogag.*



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn729462951/phys\\_0019](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729462951/phys_0019)

DFG



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn729462951/phys\\_0020](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729462951/phys_0020)

DFG

Sic tu Pimpleidum dignē quicat  
Hactenus, intrepido pectore  
Et (Tibi cum Sophiæ, rerum sit c  
— Jura potestatis ritè tenerestu  
Gratulor, & vōveo Deus ut tua c  
Et vivas, vigeas semper in arte


Amoris &  
Scrib  
Joachim

AD DOMINUM RESPON  
Amicum Intimum

**S**i vario hant renuit pectus, mace  
Dives, & extreemos currit merc  
Labilis ut quarat fallacia munera  
Tu meritò ingenium jucundo orna  
Tentas, atq; animi dulcissima mun  
Quæ variis sortis non sunt obnoxii  
Pergito sic castas, mi Frater, amare  
Inde tibi solidi tandem nascentur h

Amico suo d

Joachimus Lo  
Megaj



the scale towards document